



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli**

**Viegas, Brás**

**Parisiis, 1615**

Christum esse primogenitum in multis fratribus. Sectio X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39261**

Christum esse primogenitum in multis fratribus.

## SECTIO X.

**D**ICITUR postremò Christus primogenitus in multis fratribus, ad Rom. 8. *Et sic ipse primogenitus in multis fratribus*, quò etiam pertinet illud Psalm. 88. *Et ego primogenitum ponam illum excelsum pra regibus terra.* Primogenitum, inquam, id est, praeipuum filiorum, cui primogeniturae priuilegia debeantur: de quibus priuilegiis legendus est Abulensis in 25. cap. Genesis. Pro cuius maiori expositione nò aduertendum est, omnes homines esse fratres Christi propter communionem naturae cum Christo, praeipue verò fideles propter fidem, quam habent in Christum, & maximè iustos, propter communionem gratiae, iuxta illud Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, id est, fratres Christi. Et ad Hebr. 2. *Non confunditur fratres* *fratribus meis*, &c. Atque hanc ob causam Christus se appellat sapissimè filium hominis, vt Ioan. 3. *Exaltari filium hominis*, & aliàs: non solum, vt vult Tertullianus libro de carne Christi, & Irenaeus lib. 3. contra Valentinum cap. 21. vt intelligeremus, eum non solum esse verum hominem, sed carnem accepisse nascendo. Adam enim homo fuit, sed filius hominis non fuit, quia carnem non accepit nascendo: sed etiam vt significaret se iam cum hominibus cognationem carnis habere, fratremque nostrum per assumptam humanitatem esse: vnde olim Christiani se communiter fratres appellabant, quemadmodum auctor est Tertullianus in Apologetico cap. 39. & lib. de corona militis cap. 1. lib. 3. contra Marcionem, & Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum. Cæterum, vt diximus, iusti peculiari ratione fratres Christi appellantur, quia sunt gerè filij Dei adoptiui, per veram adoptionem, quæ est ipsa iustificatio, quemadmodum docet D. August. epist. 120. cap. 4. & lib. 3. contra Faustum Manichæum. Ratio verò est, quia iustificatio est veluti quædam generatio: atque de hac adoptione intelligendum est illud Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et illud 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei naminemur, & simus.* Et ad Rom. 8. *Accipistis spiritum adoptionis filiorum per Iesum Christum.* Et ad Ephes. 1. *Prædestinasti nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.* Vnde Paulus Apostolus rectè ex hac adoptione ad ius hæreditatis argumentatur, cum ait ad Rom. 8. *Quod si filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi:* quæ de re legendus est D. Thom. 3. part. quæst. 23. art. 1. horum igitur omnium fratrum, Christus appellatur Primogenitus.

Christum esse Primogenitum mortuorum, &amp; primitias dormientium.

## SECTIO XI.

**V**LTIMO dicitur Christus, *Primogenitus mortuorum* quod hoc loco ait Ioannes, quia primus omnium ad vitam immortalem reuixit: quo etiam sententia appellatur, *Primitias dormientium*, 1. ad Corinth. 15. Pro cuius rei intelligentia sciendum est, resurrectionem esse veluti quandam regenerationem, sic enim appellatur à Christo Matth. 19. *In regeneratione, cum sederis filius hominis*, &c. eamque ob causam sepulchrum, vtero comparatur. Vnde Diuus Ambr. serm. 48. de sepulchro Christi loquens *Vbi que*, inquit, *beato Corpori defertur sanctitas, vbi que virginitas, purus illud venter concepit, nouus tumulus includit, quin potius ipsam sepulchrum vulnam dixirim, est enim similitudo non parua, sicut enim Dominus de matris vulna*